





12585.  
Sp

N<sup>o</sup> 49

DE

1787, 9.

# S P O N S O R I B V S I V R I S   G E N T I V M

---

P R O L V S I O

O R A T O N I

P R O F E S S I O N I S   I V R I S   E X T R A O R D I N A R I A E

S O L L E M N I T E R   A D E V N D A E   C A V S S A

A. D. XXVI SEPTEMBR. A. C. C<sup>CCCC</sup>LXXXVII

R E C I T A N D A E

P R A E M I S I T

C H R I S T I A N V S   D A N I E L   E R H A R D V S

A R T. LIBER. M. ET I. V. DOCTOR SACRI PALATII COMES IUDICII PROV. LVSAT

INF. ADSESSOR CVRIAIE IN PROV. SUPREM. ET CONSISTOR

ECCLES. LIPS. ADVOC

---

L I P S I A E

E X   O F F I C I N A   B R E I T K O P F I A

*Heinr. Doctor Boje  
Senior des Schöppenstuhls*

SPONSORIBVS

IARIS GENITIVM

IARIS GENITIV

PROLAVSIO

GRATIOLI

PROLESIONIS IARIS EXTRAORDINARIE

SOLLERMINISTER ABGABENDA CARMES

PROLESIONIS IARIS EXTRAORDINARIE

CHRISTIANA JANET BRABANDAS

LIPSIÆ

EX OLYMPIA BRABANTIA

Wm. Brabandus  
Eximius medicus et  
professor medicinae  
et botanicae

DE  
S P O N S O R I B V S  
I V R I S G E N T I V M

---

S E C T I O I

---

**E**x quo; discussa barbariae et inueteratarum de comititio Pontificis et Imperatoris Romani orbis terrarum dominio opinionum caligine, philosophiae lux etiam in iure gentium fulgere coepit, noua inter Europae populos negotia publica tractandi, lites componendi, foederaque pangendi orta est ratio, a formulis iuris Ciuilis atque Canonicis quondam visitatis plane diuersa, et liberarum ciuitatum iuribus, et saeculi nostri moribus magis adcommodata. In quorum quidem negotiorum, quae recentiore aetate necessitas pariter atque utilitas commendauit, ac multiplex usus frequentauit, natura atque indeole inuestiganda, neglecta legum ciuilium, et antiquorum inorum institutorumque similitudine, animum aduertas necesse est ad leges istas aeternas et vniuersas, quae natura duce cognoscuntur, ipsis rerum publice gerendarum argumentis, et diuersis liberarum gentium consiliis applicandas. Hic vero de iure gentium scribendi mos cum haud omnibus adrideat, aliis nihil nisi facta quaerentibus, allis sine adcurata publicorum negotiorum cognitione tantum philofophantibus, larga in omnibus huius disciplinae partibus messis est relicta iis, qui, cum argumentum de iure stilicidiorum, de glande legenda, et huius

A 2

farinae

farinae alia infinitis disputationibus ad taedium vsque tractata et exhausta esse videant, grauius quoddam, minusque tritum atque perulgatum sibi sumendum arbitrantur, in quo studium cum fructu collocent, ingeniique vires exerceant. Quibus equidem caussis adductus nonnihil de illis conuentionibus, quibus ab aliquot inde faculis inter gentes Europae de sanctitate foederum ictorum ab alia gente fides interponitur, quod genus vulgo venire solet *garantiarum* nomine, barbaro illo quidem, sed etiam illis, quibus ceteroqui laus elegantiae et latini sermonis venerum summo iure tribuitur, vt Io. Iac. Mascouio (<sup>a</sup>), familiari, differere constitui, eo potissimum consilio, vt, quae a viris doctis, qui in hoc loco exponendo commentationem occuparunt, Viro Illustrissimo Dieter. Henr. Lud. L. B. ab Ompteda (<sup>b</sup>) et Scheidemantelio (<sup>c</sup>) laudatis, siue omissa, siue minus aducaturate fuerint disputata, ea supplere, digerere, ac diligenter definire conarer. Omnis vero de toto hoc genere disputationis tribus partibus commode absolvi poterit, quarum prima in pacti illius notione definienda, altera in iuriis, quae inde originem ducunt, constituendis, tertia denique in modo, illa iura acquirendi, exercendi et amittendi explicando versabitur. Etenim ab instituto nostro nimis alienum esse videtur, longam de variis illis modis, quibus veteres gentes pactis inter se initis firmamentum addere solebant, historiam praemittere, praesertim cum ab Henr. Cocceii (<sup>d</sup>), Frid. Lud. Waldnero (<sup>e</sup>), lo. Chr. Guil.

Ste-

(a) Mascouius *Diss. de iure foederum* in S. R. Imp. §. XI. et Princ. Iur. Publ. Imp. Rom. Germ. Lib. VI. cap. IV. §. 12. et passim alibi.

rechts sub voc. *Garantie* Vol. II pag. 156.

(b) Ompteda *Litteratur des gesammten sowohl natürlichen, als positiven Voelkerrechts* Tom. II. pag. 594. seq.

(d) Cocceii *Diss. de garantia pacis*, *Exercitati.* Vol. II. n. XXXI. pag. 597.

(c) Scheidemantelii *Repertorium des deutschen Staats- und Lehn-*

(e) Waldnerus de *Freundstein Comment. de firmamentis conuentuum publicarum Giesiae Cattor.* 1709. cap. I. — X. XII. et XIII.

Steckio, Viro Perillustr. (<sup>1</sup>) et Petr. Ios. Neyronio (<sup>2</sup>) nobis iam otium factum sit. Omnia vero exempla interpositae ab aliis gentibus fidei, ad maius firmamentum conuentionibus publicis adiciendum, ab initio saeculi quintidecimi usque ad nostram aetatem enumerare, prorsus superuacaneum esset, huiusque prolusionis angustias excederet.

Ingredienti autem mihi ipsius argumenti tractationem primi fesse offert vox ista, qua hoc conuentionum genus et in tabulis paucorum publicorum, et a scriptoribus iuris gentium solet insigniri, cuius ambigua significatio multis in hoc genere erroribus, et notionum toto caelo diuersarum perturbationibus occasionem praebuit. Quam ob rem, ut in hac re definienda paullo adcuratius versemur, de origine et significatu barbarae vocis, *Guarantia*, ante omnia quaedam premittamus. Est vero hoc nomen originis Germanicae, et deriuandum a voce Gothicā *Uuar*, Germanica *War*, quae certum, tutum indicat, inde *warmachen*, teste Christ. Gottl. Haltausio (<sup>3</sup>), est confirmare. Sic in diplomate A. c. 1060 apud Potgiessserum (<sup>4</sup>) legimus: *vnd heft dat mit erem gedanen ide bevestiget vnd wargemacket*, unde *Wara*, custodia, argumento verius a Schiltero (<sup>5</sup>) ex Ottfridi Euangeliis laudati:

*Si suahut fine uuara.*

hi (*Magi*) quaerbant eius (*Iesu*) protectionem, et waeren, gewaehren, certum facere, tutum praefstare ratione possessionis, vt Haltausius (<sup>1</sup>) et Georg. Henischius docent, (<sup>6</sup>) a quo deriuandum,

A 3

Ge-

(f) *Versuche über einige erhebliche Gegenstände, welche auf den Dienst des Staats Einfluss haben.* (Fr. et Lip. 1772.) n. V. p. 48 — 62.

(h) Haltaus *Glossar. Germ. medii aevi voc. War.*

(i) Potgiesser *comm. de Statu servorum mantiff. n. XXVI. p. 936.*

(k) Schilteri *Thesaur. Antiq. Germ. Tom. III. p. 836.*

(l) Haltaus sub voce *waeren.*

(g) *Essay historique et politique sur les garanties et en général sur les diverses methodes des anciens et des nations modernes de l'Europe d'affirmer les traités publics.* Gott. 1777. Sect. I. II. p. 5 — 82.

(m) Henisch *Thesaur. lingv. et sapientias german. sub voce gewehren.*

*Gewarer, Gware, Gevara, de quibus Haltausius (a), addita terminazione latina, *Gewarandia, Guarandia*, uti legitur apud Schilterum (c) in diplomate Badensi A. c*lccclxxvii*. quod Francogalli mutarunt in vocem, *Garantie*. Indicarunt vero maiores nostri vocabulo *Gewaehr* omnem alicuius reiasfitionem et promissionem, quod adparet ex diplomate Henrici, Duci Silesiae, dato Vratislaviae c*lcccxix*. exhibito a Clph. Seydelio (p), in quo legimus: *promissum, quod vulgariter gewaehr dicitur*, id quod confirmat Adelungius (q), Vir Illustris, qui in statutis Bremensis vocem, *gewahren*, adhiberi ait, pro iureirando se obstringere; deinde securitatem praefitam pro certitudine alicuius facti, teste Cangio (r), qui Prouinciales dicere *Guarentya* pro teste narrat, et Haltausio (s); tum evictionis praefitandae pro securitate possessionis promissionem; denique possessionem ipsam (t). Eadem ratione *guarandiam, warantiam, guaransam* tum securitatem, tum protectionem et defensionem significare in tabulis pactionum, et apud scriptores medii aevi animaduertimus, praecipue vero vslitatum fuisse inuenimus in promissione de evictione praefitanda. Sic enim Westphalenius (v) exhibit documentum A. c*lcccliv*. in quo legimus: *pro evictionis cautione, quod vulgariter Warantia dicitur*, et Haltausius (x), Cangius (y), Adelungius (z), aliique plures in eo significati huic uero tribuendo consentiunt. At enim vero cum ea praecipue aetate,*

ob

(a) Haltaus sub voc. *Geware* Vol. I.  
pag. 702. *gewarer* pag. 706.

(c) Schilteri *Thes. Antiq. Germ.*  
Tom. III. p. 825.

(p) Seydelii *tratt. de processu for-*  
*rens. in Siles.* praecipue *Vratislau-*  
*p. 13.*

(q) Adelung *Versuch eines vollstaen-*  
*digen grammatisch critischen Woer-*  
*terbuchs der hochdeutschen Mundart*  
*voc. waehr, gewahr.*

(r) Du Fresne *Glossar. sub voc.*  
*Warantus.*

(s) Haltaus sub voc. *Geware Gloss.*  
T. I. pag. 705. c.)

(t) Haltaus d. l.

(v) a Westphalen *Monum. Rer.*  
*Cimbr.* Tom. III. pag. 1633.

(x) Haltaus *Glossar. Tom. I. pag.*  
710.

(y) Du Fresne Vol. III. p. 903.

(z) Adelung *deutsches Woerter-*  
*buch* Tom. II. pag. 612.

ob nexum beneficiariorum visitatum, iura principum in ditiones suas non distinguerentur ab iis, quae ob dominium, quod dicunt directum, et ob praediorum possessionem priuatis quoque tribui possunt, hic modus securitatis praefundae possessionis caussa, vti plures iuris priuati formulae, in negotiis quoque publicis sicut adhibitus. Cum uero plerumque in pactis pacis pangendae caussa initis de securitate mutua possessionis terrarum antea turbatae ageretur, non solun omnia, quae securitatis et stabiliendae pacis caussa fabant, nomine *Guarantiae* venerunt, sed ii quoque, qui *Idem* suam quocumque modo in his negotiis interposuerunt, *warendi*, *warenti*, *warentores*, *varentes*, *garandi*, *guaranti*, *garendizatores*, et *conservatores* dicti fuerunt. Quem varium horum verborum in publicis negotiis usum ut cognitum habeamus, propterea necessarium esse videtur, ne in eorum errores incidamus, qui, vt Cocceii, omnes modos confirmandi pacta gentium, quia uno hoc vocabulo *guarantiae* ab antiquis comprehendantur, ad quamdam principiorum, quibus contineantur, communionem reducendos esse iudicarunt, vel quoties *warrantor* nominatos in diplomatis inueniunt, toties idem pactum, quale hodie usum vigeat, hoc vocabulo denominari existimant, id quod factum est ab eo, qui omnium postremus hoc argumentum fuit persecutus, Scheidemantelio (<sup>a</sup>), qui, loco quodam legum Normannicarum (<sup>a</sup>) aliisque aliorum documentorum apud Ludewigium (<sup>b</sup>) deceptus, non dubitavit adserere, rationem interponendae apud gentes fidei non esse nouum negotium, cum tamen luce meridiana clarius sit, in illis locis nulla

(a) Scheidemantel in *Repertorio voc. garantie Part. I.* pag. 157.

(b) Si enim quis terram sibi in vadum tradidam alii tradiderit in foedum tenens super hoc ad Guarantum vocare poterit traditorem, qui eam sibi tenet Garantizare, vel excambiare. Qui, si terra ipsa garantizare voluerit, super se eius defensio-

nem suscipiet, et si succubuerit, ad valorem excambiat garantizato.

(c) Ludewig *Reliquiae MStor.* Tom. VII. pag. 358. et Tom. I. p. 43. Wir wollen auch jöcher Güter ihre rechte gewere sien, als weher recht ist, als dicke, als on dies neidt sien wirdt, ane geverde.

## VIII

nulla alia de re, nisi de euictione ob possessionem terrarum quarundam praestanda, esse sermonem. Nos quidem, vt ab eiusmodi erroribus nobis caueamus, non ad verborum sonum adtendemus, sed potius ex ipsa huius pacti indole rem adcuratius et diligentius explicare instituemus.

Multa ante initium saeculi quintidecimi pacta esse inita, foederibusque gentium adiecta, quae *guarantiarum* nomine circumferebantur, nemo erit, qui negare sustineat; sed de illis nulla iam quaestio instituitur, quippe quae a natura et constitutione accessoriorum huius generis pactorum, quae hodie frequenter occurrunt, plane abhorrent. Ut enim taceam sollempne, quo ad foedera seruanda fese obstrinxerunt principes, iusurandum, vt praeteream consuetudinem, qua censuris, quas vocabant, seu poenis ecclesiasticis, a Pontifice irrogandis, si foedus ab ipsis violatum fuerit, fese subiiciebant, cuius rei testimonium ex formula pacti Cameracensis, a. d. v. Aug. MDXXIX a Carolo V. Imperatore cum Francisco I. Franciae rege initi, quod apud Dumontium legimus (d), exhibuit Mablius (e), vt nihil denique dicam de obsidibus atque pignoribus datis, et eiusmodi aliis, quibus maiores firmamentum addere conabantur foederibus, et quae omnia nomine *guarantiarum* celebrabantur; ne illi quidem, qui ad nostros proxime accedunt, veteres pacis conservatores, de quibus Mablius (f), et Steckius (g) differunt, eodem, quo hodie solent principes, modo fese obligant.

(d) Dumont *Corps diplomatique* en leurs noms en Cour de Rome, par Tom. IV. P. II. p. 7.

(e) Mably *Droit public de l'Europe*. Tom. I. pag. 172. Edit. Genev. 1764. Ces princes en cas de contravention se soumettent aux Jurisdictions, Coercitions et censures ecclésiastiques, jusqu'à l'invocation du bras séculier inclusivement; et confirment leurs Procureurs in forma Camerae Apostolicae, pour comparoir

envers Notre Saint Pere le Pape, ou les auditeurs de la Rote, et subir volontairement la condamnation et la fulmination desdits censures.

(f) Mably *Droit public de l'Europe* Tom. I. Chap. 3. p. 171.

(g) Steck *Verjuche* p. 50 — 60. et Diff. de *guarantia paucorum foederum* rel. ergo pertuss. Hal. 1756. Cap. II. n. 1.

gabant. Erant enim isti clientes et ciuitates subiectae alterutri paciscentium, quae pactis a principe suo initis ita accedere solebant, vt, si iste promissis non steterit, nulla habita fidei ipsi datae ratione, auxilium alteri parti contra eumdem ferendum, vel litteris singularibus, Francogallis scelles, dictis, quales a Philippo Burgundico et ab Iprarum ciuitate (1), occasione pacis Siluaneckenfis a Maximiliano I. Imperatore et eius filio Philippo cum Carolo VIII. rege Franciae a. d. XXIII. Mai. CLCCCCXCIII. datas, exhibet Dumontius, vel nominum subscriptione promitterent. Quae res originem debet nexui clientelari, quo isto tempore omnes fere Europae populi continebantur. Ea enim tempestate cum vasallii ipsaeque ciuitates in omnibus fere regnis eadem gauderent libertate, qua adhuc hodie vtuntur Germaniae ordines; cum ius belli gerendi iis nondum esset adentum, facile fieri poterat, vt princeps a suis vasallis ad foedera cum aliis contracta sancte feruanda vi et armis cogeretur. Eo vero modo non alias populus de eiusmodi conuentionibus obser-

(1) Dumont Corps Dipl. Tom. III. p. 2. pag. 309. seq. Savoir sifions, que nous desirans de tous nos pouvoirs obeir a nosdits Seigneurs; considerant aussi les grands biens, que la ditte Paix au cas, que par la grace de Dieu elle seroit bien gardée et entretenue, pourront averrir aux País et sujets de nos dits Seigneurs et les maux, qui au contraire par la rupture et l'infraction d'icelle s'en ensuivoient, avons à notre Assemblée pour ce faite des plus notables Bourgeois et Marchans de la dite Ville en nombre suffisant, representans toute la communauté d'icelle, promis et curé par celles scelles du Scel de la dite Communauté, promettons et jurons d'entretenir, et faire

entretenir le dit Traité en tous et chacuns les Points et Articles y contenus; et s' il étoit contrevenu par nosdits Seigneurs Roi des Romains, et Archiduc son fils, — nous en ce cas serons tenus et avons promis d'abandonner et delaisser nosdits Seigneurs et chacun d'eux, et devrons audit cas faire, aide et assistance à icelui Roi Tres-Chrétien notre très Souverain Seigneur, ainsi et par la mainire, que nosdits Seigneurs, par leursdites lettres nous ont commandé et ordonné de faire; et à cette fin, esdits cas de Contravention et rupture nous ont tenus et tiennent déchargez desdits sermens, que nous leur devons etc.

obseruandis fidēni suam interposuit, sed ipse populus, principis pacifcentis imperio subiectus, eiusque primores id quod princeps promiserat, fide data ratum habuerunt. Sed formula ciuitatum, quam barbaries introduxerat, recentiori tempore mutata, cum pleraque regna magis absolute dominati subessent, ideoque vasalli neque amplius satis tuti, nec satis potentes paetorum conseruatores viderentur, factum est, vt ab iis gentibus, quae pacti alicuius confirmationem atque securitatem optarent, vnuſ pluresue alii principes rogarentur, vt conuentionis inter ipsas initae fidem fusciperent, qui, cum ob late dominandi lubidinem negotiis aliorum fese immiscere cuperent, hoc munus arduum lubentissime fuscipere solebant. Ad eiusmodi vero sponzionem primos omnium vocatos suisse Principes Electores et reliquos Imperii Germanici ordines, foederis confirmandi cauſa, a.d. xxii. Sept. A.clo 10 v.a Maximiliano Imperatore cum Ludouico XII. rege Franciae contra Venetos initi (g), contendit Neyronius (h) contra Mablium (i), qui carmen pacti Bloëfensis, anno sequentiab iiſdem initi, primum exemplum effe coniicit, quo princeps extraneus loco conseruatoris fuerit adſitus. Sed exemplum a Neyronio adlatum magis ad illum veterem morem, quo vasalli ad pacem conseruandam fese obſtrinxerunt, accedere mihi videtur. Principes enim Electores, ceterique Imperii ordines cum beneficiario nexu effent Maximiliano obligati, Mablius, qui certe hoc foedus non ignorauit, illud inter documenta nouae consuetudinis referre non potuit, eam ob cauſam, quia principes Imperii ratione Maximiliani, qui hoc ipsum foedus, imploratus a summo Pontifice, vt supremus ecclesiae Romanae defensor, ideoque tamquam Imperator Romanus, iniit (k), sponsoribus

ex-

(g) Dumont Tom. IV. P. 1. p. 58.

(h) *Essay sur les garanties* pag. 97.(i) Mably *Droit public de l'Europe* T. I. p. 179.

(k) Dumont Tom. IV. part. I.

p. 58. Quod cum Sanctissimus Dominus noster Julius Papa II. per nos ante dictos marchionem et Siflaricensem,

extraneis non adnumerandos esse existimauit. Igitur consultus esse videtur, cum Mablio statuere, formulam illam, foederi Bloefensi adiectam, primum esse indubitatae fidei documentum, quo princeps *avvttu9wes* paeti gentium spon-  
for nominetur.

A quo quidem tempore cum reges ac principes Euro-  
paei foederibus, necessitudinibus, mutuis comodis atque  
utilitatibus, et in primis metu crescentis potentiae, monstro-  
fo illo succedente tempore ingeniorum luxuriantium foetu,  
diuersimode inter se iuncti atque colligati externa aliarum  
rerum publicarum negotia magis magisque curare incipe-  
rent, atque hinc, praeter alia instituta, etiam hic mos ob-  
tineret, vt vnius pluresue principes, qui prolapsae latinitatis  
nomine *mediatores*, rectius vero et purius conciliatores vocan-  
tur, lites aliorum compонere studearent (<sup>o</sup>), iisque, non  
quidem, vt Stienius aliique putant, necessario, cum illud  
conciliandi studium humanitatis sit, plerumque tamen, pa-  
cis eorum opera compositae conseruationem fideiubendo in  
se fusciperent, factum est, vt illa pacta gentium foedere ac-  
cessorio confirmandi consuetudo ab aliquot inde saeculis ita  
vulgaretur, vt nulla fere pax, neque aliud alienius momenti  
foedus iniretur, quin vnius pluresue principes fidem suam  
interponerent. Vnde cum multa eaque insignia iura, et  
ipsorum pacifcentum, et fidem suam interponentium na-  
scantur, operas sane pretium est, in paeti istius notionem  
adaccurate inquirere, idque ab aliis diuersisque conuentioni-  
bus diligenter distinguerre. Cum enim nostro potissimum

## B 2

temp-  
sem, et alios, ac etiam Breukbus Apo-  
stolicis, Serenissimos atque Excellos  
Principes, Maximilianum Romanorum  
et Ludovicum Francorum reges  
repetitis vicibus instantissime monue-  
rit, ut tanquam veri et devoti filii  
ecclesiae vellent Sanctitati suaे tolis  
viribus assistere — Quare ipsi aquam

de his considerationem, ut par est, ha-  
bentes atque assidue ante oculos pra-  
ponentes, quantum Apostolicae Sedi,  
(*Quae ipso Protectoris et primi Filii*  
*loco semper habuit;*) debeat rel,

(n) Stievens *Europaeisches Hofcas-  
rimoniell P. IV. cap. III. p. 329. 335.*

tempore, quando gentes conventionem aliquam sua fide muniunt atque confirmant, non semper definitur omnia iura, omnesque obligationes, quae illa pactio sponsor in se suscipit, sed saepissime foederis iicti sponsor talem se omnino profiteatur, vti factum est in illis de fide, pro seruanda pace Tschinensi ab Imperatrici Russorum et Rege Franciae pacientibus obstricta, tabulis (o): ex rei ipsius natura, et mente antiquorum eiusmodi pactorum sponsionis notio ad curatissime est definita.

Ac mea quidem sententia esse videtur ista sponsio, promissio gentis liberae de pacti ab aliis initi obseruatione omni modo tuenda. Quae definitio propterea mihi maxime adridet, tum, quia omni ambiguitate caret, tum, quia omnia ea contineri existimo, quae ad naturam et constitutionem huius pacti pertinere censemur. Quas vero definitiones complures iuris gentium scriptores exhibuerunt, eae fere omnes nec satis accurate, nec satis perspicue istam notio nem exprimere videntur. Vlr. Obrechtus (<sup>r</sup>) pacis sponsorem

(o) Es haben Ihro Kayserliche Majestät aller Reussen und Ihro Allerchristlichste Majestät darauf, bey Hochfürstlichen einflüglichen Wünsche die öffentliche Ruhe zu bestätigen, sehr gerne das Mittel ergriffen, welches einzig und allein zu einem so heilamen Entzweck abziehet. Und da Hochfürstliches uns zu dem Ende bevollmächtigt; so erklären wir Endes unterzeichnete Bevollmächtigte Hochfürstgedachter Ihro Majestäten, die wir die Stelle der Vermittler zur Wiederherstellung des Friedens vertreten, und versichern durch gegenwärtige Acte, kraft habender Vollmachten, daß Ihro Kayserliche Majestät aller Reussen und Ihro Allerchristlichste Majestät den am heutigen Tage zwischen Ihro Ma-

festet der Kayserin-Königin und Ihro Majestät dem Könige von Preußen geschlossnen Friedens-Statat, seinem ganzen Inhalt nach, nebst den besondern Conventionen, und den Separat-Artikeln, besonderen und Separat Aden, welche denselben angehaengt sind, und einen Theil desselben ausmachen, in gleichen alle in demselben enthaltene Bedingungen, Clauses und Zusagen in besser Form garantiren, und daß Hochfürstgedachte Ihro Kayserliche Majestät aller Reussen und Ihro Allerchristlichste Majestät annoch besondere Ratificationen über diese Garantie-Acte werden ausfertigen und überliefern lassen.

(p) Vlr. Obrechti sponsor pacis Cap. II. §. 1. in Academ. p. 143.

forem esse dicit, qui alieno nomine pacem, vel pactum seruatum iri promiserit, quem Cocceii (<sup>(1)</sup>), Ulricus Huberus (<sup>(2)</sup>), Wolfius (<sup>(3)</sup>), Carpouius (<sup>(4)</sup>) aliique fuerunt fecuti. At enim vero haec finitio valet ad rem intricandam magis, quam extricandam. Ecquid enim illud est, aliquem promittere, pactum seruatum iri? Nullo modo hoc in se recipere sponsor potest, cum praeuidere nequeat, an alteruter paciscentium fidem datam sit seruaturus. Deinde cum auxiliis promissio contra eum, qui pactum violaturos sit, quae cuique huius generis sponsioni inest, ista definitione non sit comprehensa, mancam eam esse vagamque, nemo sane insitibatur. Propius videntur ad rem accessisse sectatores Sam. Pufendorfii (<sup>(5)</sup>), qui dicit, esse modum cauendi securitati pacis, dum alii fidem suam interponant, conuenta utrumque seruatum iri, cui veluti fideiunctioni implicitum sit foedus circa ferendum auxilium illi, qui contra pacta inuiditur, aduersus iniuriae auctorem. Quocum conueniunt Nic. Hier. Gundlingius (<sup>(6)</sup>), Io. Iac. Mascovius (<sup>(7)</sup>), et quidam alii. Sed eam quoque obscuram esse, nec rei satis admodum datam, quis est, quin statim intelligat? Illud vero mirari subit, recentissimum iuris gentium scriptorem, Georg. Frid. Martensem, minus subtiliter, quam superiores, in eo pacto definiendo esse verbatum, qui in eo loco, quem inscripsit de garantia pacis (<sup>(8)</sup>), his verbis usus est: *ad firmandum pacis possessionumque securitatem magis magisque nouiori aetate inuituit, cum, ut ipsi belligerantes invicem inter se ditionum suarum garantiam susciperent, quae clausula fera ad naturam foederis defensui accedit, tum ut separatis eum in finem adiunctis articulis exterar gentes*

B 3 pacif-

(q) Cocceii *Diss. de guarandia pacis* Sect. IV. §. 6.

(r) Ul. Huberus *de iure Civit. L. III. Sect. IV. Cap. III. n. 26.*

(s) Christ. L. B. de Wolf *ius gentium methodo scientifica pertractatum* § 442 p. 362.

(t) Iac. Carpou *Progr. de iure fideiunctionis principum, quam Galli appellant Garantie* (Vinar. 1745.) §. 3. p. 5.

(v) Pufendorf *Ius Nat. et Gent. Tom. II. Lib. VIII. cap. VIII. §. 7.* pag. 466. edit. Moscou.

(x) Gundling *Ius Nat. et Gent. Cap. XXIV. §. 45.*

(y) Mascouius *Diss. de iure foederum in S. R. Imperio* §. XI.

(z) Martens *primaelineae iuris gentium practici* Gott. 1785. p. 239. seq.

## XIV

*pacifcentibus, aut alterutri eorum, garantiam pacis praefent.* Haec quidem garantia eo tendit, vt, *vbi quis belligerantium pacem violauerit, is qui garantiam suscepit, a paſo monitus vires cum ipso coniungat, vt alter ad satisfaciendum adigatur.* Nam, vt silentio praetermittam, numquam belligerantes dici pro iis, qui pacem pangunt, non solum obscura est haec definitio, sed miscuit quoque ille, quae maxime inter se differunt. Quis enim, *vbi de ſponsione pacis dicendum eſt, fermonem instituet de illis foederibus, quibus populi ſibi inuicem auxilium pro tuenda poſſeffione ditionum fuarum promittunt?* Decepit vero et Martenſum, et alios anceps illa *guarantiae vox*, quae in eiusmodi foederibus, mutuae defenſionis cauſa initis, adhiberi ſoleat, ob veterem, cuius ſupra (a) mentionem fecimus, eius ſignificatum, qui eſt, promiſſio tuendae poſſeffionis. Sed mirum eſt, eos non vidifle, plane diuersum eſſe pactum principale, quale eſt foedus tuendarum finium cauſa initum, a pacto adiecto, cuius generis eſt ſponsio pro pacto, ab aliis inito, feruando fucepta. Quod ſi enim pace ipfa ſibi inuicem fartam teſtam promittant ditionum fuarum poſſeffionem, id ab illis tamquam pacifcentibus, non vero quaſi sponsoribus agitur. Itaque iſta ditionum tuendarum fucepta ſponsor ad illud pacis firmamentum, quod a ſponsione petitur, plane non pertinet, nec vllam cum iſto habet ſimilitudinem, et in iure gentium ibi eius mentio eſt iniicienda, *vbi de foederibus defenſionis cauſa initis fermo instituitur.* Singularia enim foedera defendantarum finium cauſa a gentibus Europea eſſe inita, qui ignorat? In quibus quidem vox *guarantiae*, fed plane alio ſignificatu, quam quo in noſtro argumento fieri ſoleat, vſurpatur, vti exemplo eſſe potest *Art. II. foederis A. cloſeclxiv. ab Imperatrici Russorum cum Boruſſorum rege initi*, quod apud Moferum (b) legitur. In idem

(a) Pag. VI. et VII.

(b) Mofer *Versuch des neuen Europäischen Völkerrechts in Friedens- und Kriegs-Zeiten. Tom. VIII.*

p. 226. 227. *Les Hautes Parties contrâlantes, proſant pour première règle et pour base du ſiſtème politique de cette Aliance, d'affermir ſolidement,*

idem cum Martensio vitium incidit lo. Aug. Henr. Vlricus, (c) qui, vbi de cautionibus et firmamentis, quae accedere possint pactis publicis, loquitur, garantiam esse dicit, *pactum publicum, quo gens genti promittit auxilium bellicum contra illum, cui in mentem venerit, ius aliquod illius, in primis pactitum, violare.* Quae quidem descriptio omnia genera foederum, defensionis caussa initorum, comprehendit, sponsonis naturam vero, quae, vti iam demonstravimus, potissimum in eo cernitur, vt alii pacto accedat, nullo modo exprimit. Vellem equidem, vt omnes in hoc argumento tractando fecuti fuissent Io. Iac. Moserum, qui, cum alias magis industria, quam subtilitate excellat, sponsonem pacis et aliorum foederum, ab aliis pactis gentium, praecipue vero ab illa ditionum tuendarum sponstone, quam singulari capite tractauit, adcuratissime distinxit. Quod vero in nostra definitione non expressissimus promissionem sponforis de eo armis tuendo, qui laetus fuerit contra leges pacto expressas ab altero pacifcentium: hoc ob eam caussam fecimus, quia verbis *omni modo*, etiam hanc pacti tuendi viam comprehendi existimauimus. Docet vero nos haec sponsonis pactorum inter gentes notio, eam differre non solum

ment, pour le bien du Genre humain, la tranquillité générale, se reservant en conséquence, d'un côté, la liberté, de conclure même à l'avenir, d'autres Traitées avec des Puissances, qui, loin de porter par leur union quelque préjudice et empêchement à l'objet principal de celui-ci, y pourront encore donner plus de force et d'efficacité; Elles s'obligent d'un autre côté, à ne point prendre d'engagement contraire au présent Traité, auquel Elles sont convenus d'un commun accord d'inventer et d'admettre d'autres Cours, qui seront animées des mêmes sentiments; voulant non seulement ne rien faire, mais même empêcher, de tout leur pouvoir, qu'il soit rien fait, ni directement, ni indirectement, de quel-

que manière qu'ee soit, qui puisse leur nuire et être contraire à cet engagement mutuel; et, pour donner plus de force à cette Alliance, Elles s'engagent à se garantir reciprocement, et se garantissent en effet l'un à l'autre, de la manière la plus forte, et sans exception, tous les Etats, Principautés, Comtés, Seigneuries, Provinces, Territoires et Villes, qu'Elles possèdent actuellement en Europe, lors de la conclusion de ce Traité, et à se maintenir et se défendre avec toutes leurs forces, contre qui que ce soit, dans la paixible et entière possession de leurs sus-dits Etats.

(c) Vlrich *Init. Philos. Ius. §. 609, seq.*

## XVI

Ium ab eo, de quo modo locuti sumus, foederum genere, cui etiam *guarantiae* nomen vulgo tribui solet, sed ab aliis quoque pactis, ut a fideiussione. Fideiussor enim spondet, se se praestiturum esse id, quod alter praestare debet, si ipse praestare vel non possit, vel nolit. Sponsor paeti iuris gentium non ipse, quod alter promisit, praestare, sed eum, qui pactum violauerit, ad illud obseruandum, si opus fuerit, etiam vi se adaucturum promittit. Quod idcirco inonendum erat, quia multi fuerunt, qui haec duo pacta inter se confunderent, ut a Waldnero, Carpoio aliquis factum esse constat. Atque haec quidem de sponsoribus iuris gentium hactenus, reliquis, quae ad absoluendum argumentum spectant, in aliud tempus occasionemque referuatis.

Haec praefari, et loco speciminis cuiusdam, libelli super hocce arguento fortasse cum viris doctis aliquando communicandi, in praesentia litteris prodere lubuit, vt indiceremus sollemnia, quibus more in institutoque maiorum nobis auspicandum est munus a Serenissimo Duce Electore Saxoniae, Frederico Augusto, ius extra ordinem in hac alma litterarum vniuersitate profundi, munificentissime in nos collatum. Dictus est huic sollemnitati dies xxvi. Sept. quo oratione *de iurisconsulto philosopho* in auditorio iurisconsultorum publice recitanda, et piis pro salute Principis nostri, ac Patris Patriae Indulgentissimi, totaque domo Augusta, nec non pro Illustrissimis atque Excellentissimis Principis nostri Administris, aca- demiae nostrae curatoribus atque moderatoribus sapientissimis, votis nuncupandis, prouinciam nobis demandatam adnuente deo auspicabimus. Quam sollemnitatem ut quam plurimi sua praesentia celebrent, cum vehementer optemus, humanissimis precibus rogamus Rectorem Academiae Magnificum, Comites Illustrissimos, vtriusque reipublicae Proceres Grauissimos, Commititones denique Generosissimos atque Humanissimos, velint in societatem gaudii nostri benivolte venire, et hoc humanitatis officio luculentum fauoris in nos sui documentum edere. P. P. in vniuersitate litterarum Lipsica Dom. XVI. post Trin. A. C. ccccclxxxvii.


**ULB Halle**  
003 335 402

3



*96.*





S P O N S O R I B V S  
I V R I S G E N T I V M

P R O L V S I O

O R A T O N I

P R O F E S S I O N I S I V R I S E X T R A O R D I N A R I A E

S O L L E M N I T E R A D E V N D A E C A V S S A

A. D. XXVI SEPTEMBER. A. C. C<sup>CCCC</sup>LXXXVII

R E C I T A N D A E

P R A E M I S I T

C H R I S T I A N V S D A N I E L E R H A R D V S

A R T. LIBER. M. ET I. V. DOCTOR SACRI PALATII COMES IUDICII PROV. LVSAT  
INF. ADSESSOR CVRIAIE IN PROV. SVPREM. ET CONSISTOR  
ECCLES. LIPS. ADVOC

L I P S I A E

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A

Herrn Doctor Boje  
Seniori des Schoeppenstuhle